

2  
*Disfertatio*

*Siftens*

*Theoriam Mentis Humancæ  
Revelatione Excultæ,*

---

*Cujus*

*Partem VII.*

*Consens. Max. Vener. Facult. Theolog. Aboëns.*

*PRÆSIDE*

*JACOBO BONSDORFF,*

*S. S. Theol. Licent. & Profesf. Reg. & Ordin.*

*Publico examini modeste offert,*

*Respondens*

*SVENO AXELIUS HALLSTRÖM*

*Sudermannus.*

*In Aud. Mineralog. die XV Jun. A. MDCCCVII.*

*H. A. M. S.*

---

*ABOÆ, Typis Frenckellianis.*

VIRO

PLURIMUM REVERENDO ET PRÆCLARISSIMO

DOMINO

JONÆ FREDER. HALLSTRÖM,

PASTORI ET PRÆPOSITO IN TILGA AUSTRALI ET TVETA,

*Patri indulgentissimo*

*Sacrum*

*Debit, voluit*

*Filius obedientissimus*

SVENO AXELIUS HALLSTRÖM.

ex aëre, quod vocant, myrbico, fictionis hujus de regno subterrestri reperimus natales, eo certius antiquas gentes spe quadam immortalitatis, levisima licet, arrectas fuisse cernimus; sed ubi cultior ætas adoleverit, ingentem scepticismum introduxit ipsa philosophia gentilium, atque ingentes in gyros vertebat animos plerorumque, ut quid liquidum & certum esset, non amplius definire sagacissimi ipsi valerent. De modo ipso, post mortem subsistendi, ut omnes palparent non mirum fuit; quia caliginosa nocte premit venturum tempus Numen; sed ipsam ut certitudinem factorum post mortem destrueret vel saltem infringeret philosophia, aut Epicureo modo animas fingens obruendas somno, aut Stoico & Peripatetico convenienter systemati in omnibus hæsitans atque vacillans "sitne necne, Dii sciunt" haud erat expectandum. Quæ summa vacillatio sapientiorum, nominatim Socratis ac Ciceronis, quem quæso tristem habitura esset in plebe ipsa effectum! Sed remanere in ipsa Judaica gente tamen certioris fidei vestigia, obscura licet, & cum istius ævi opinionibus satis permixta. Quod enim nonnulli (b) huic denegarunt genti certam immortali-

S

bears analogy to truth and to the doctrines opened to us by Divine revelation — ADDISON Spectator. T. 8: p. 168. quibus consentit LOCKE "Twas an imperfect view of reason or perhaps the decay'd Remains of an ancient Tradition, which rather seem'd to float on mens Fancies, than sink deep into their hearts. —

b) v. c. GOTH. EPHR. LESSING in libro: *Erziehung des Menschen-Geschlechts* — §. 19. Weiter als auf dieses Leben gingen noch keine (des Israelischen Volks) blicke nicht. Es wußte von Keiner unsterblichkeit der seele; es sehnte sich nach Keiner Künftigen leben. §. 22. daß die lehre von der unsterblichkeit der seele, und die damit verbundene lehre von strafe und belohnung in einem Künftigen Leben, darin fremd sind, in schriften des Alten Testam.

talitatis spem, ficulneis adeo insinuatur ratiociniis, ut qui Tragicum stilum paullo diligentius rimentur, eadem diluere ex frequenti Hebræorum cogitandi ac fingendi modo apprime valeant (c). Seniori demum ævo extulit caput suum secta Sadducæorum, ex Græcanica Epicurea, ut videtur, enata, quæ dubium non modo moveret, veteri fidei, sed eandem quoque penitus tollere adniteretur. Mox vero, exoriente Sole ut dispelluntur tenebræ, dubia hæc ce aliaque multa dispulsa per Christum, humani generis Res

diesen elementar büchern für das rohe und in denken ungeübte Israelitische volk" Cfr. etiam *Anonym Fragment.* 2 in *Gesch. d. Wolfenbytt. Biblioth.*

- c) Præter commentation, J. D. MICHAËLIS, conferri meretur STAUBLIN Lehrbuch der dogmatik u. Dogmengeschichte. Ed. Rec. §. 142. Unde nonnulla adferre placet". — Der verfasser des Pentateuchus, welchem es am meisten um Eine Historische begründung des gesezes und um die darstellung der lehren Zu thun war, welche demselben Zum grunde lagen, wohin die lehre von einem andern leben gar nicht, wohl aber die von einer Zeitlichen Vergeltung gehörte, gedenkt dieses glaubens nirgends deutlich, woraus aber gar nicht folgt, das er nicht da war. Ohne Zweifel war der unbestimmte Glauben an ein Todtenreich schon vorhanden, womit sich auch die beschaffenheit der spätern Spuren von demselben und verschiedene stellen in der Genesis am besten reimen lassen, 37: 35. 25: 7 — 10. 35: 28. 49: 29. Moses selbst Kennt d.s Todtenreich 4 B. 16: 30. er selbst wird von Gott auf dem berge Nebo im Moabiterlande begraben und doch Zu seinen Vätern versammelt 5 B. 32: 49. f. Das Moses schon die *Nekromantie* verbieten muß, das Saul sich an eine todtenbeschwörerin wendet, welche ihm den *Geist Samuels* citiren soll, vielleicht selbst das, das Elisa Todte erweckt, setzt den glauben an einen Leben nach dem Tode voraus, wobei man sich in der that nicht vorstellen kann, das die Schatten der Verstorbenen als ganz gedanken- und empfindungslos gedacht wurden. Hanna in ihrem Lobgesange betet: Der Herr tödlet und macht lebendig, er führt in das Todtenreich und wieder heraus" 1 Sam. 2: 6. — Cetera ut taceamus loca Jobi, Psalmorum, cet.



Restauratorem fuisse, quis est qui nesciat? Hoc vero est, quod tantopere sollicitavit Philosophos ex hodierno nostro aëro, qui inventionis gloriam arrogantius in se aut in humanam mentem derivare allaborarunt.

Spretis enim ceteris argumentis Historicis, ad Metaphysica illa devolarunt, probantes omnem ex animi ipsius atque rationis natura categoricam certitudinem pro immortalitate repetendam esse. Absit quam longissime, ut hæc ipsa ratiocinia, quæ ex destinatione hominis morali, ex animi virium & facultatum indole, rarius quidem in hac vita ad maturitatem quandam pertingentium sive explicitarum, atque ex ipsa rationis conscientia, depromuntur, vilipendamus; hoc enim esset propriæ suæ experientiæ reclamare velle, & velut inimicitias contrahere apertissimas. Neque moralia cetera argumenta, ex contemplatione Divinorum attributorum, vicissitudine hujus mundi, constantique harmonia physici & moralis mundi desumpta, magni non aestimamus. Sed in omni hac causa quæritur, quonam ex fonte, philosophico scilicet aut historico (*d*), summa certitudo hujus veritatis profuat, seu quod eodem recidit, utrum ipsi nostræ experientiæ, aut Divini doctoris testimonio magis fidendum &

S 2

ac

*d*) "istorische grunde wären solche, wenn etwa Todte wiederkämen und uns nachrichten gäben, oder Gott sich über diesen punct offenbarte" STÄUL. cit. L. §. 140.

Neque nos tantopere justam perspicimus esse causam, cur principis hæc historicis, per universam Servatoris historiam sæpius confirmatis, ultima non adsignetur fides ac probandi vis, quum certissimum sit & exploratum, non modo Deum semet in hac doctrina de immortalitate in nihilitate, verum etiam Christum revera e mortuis & suscitasse homines & ipsum revivisse. Nisi ergo his intuitivis ac certa hominum, qui antea vixerunt, experientia fundatis documentis fidamus, quale pretium cetera omnia moralia ac theoretica argumenta habebunt?

acquiescendum sit. Atque si vel maxime inductione ratiociniorum persuaderemur ipsi, nos nostrasque animi dotes ultra mortis terminum certe prorogandas esse, eadem tamen non omnibus inest acies mentis, ut id assequantur; neque in summo ingenii velut fastigio constitutus dabitur absoluta quaedam spes perennitatis, nisi Divina voluntas ac destinatio aliunde plenius innotescat. Eam vero patefactam tenent oracula sacra, eandem stabiliant testimonia atque exempla immortalitatis, quæ solennior Divina gubernatio, ad spem hominum per omnia secula alendam, existare iussit; immo hujus Divinæ voluntatis vis atque auctoritas absolute summa est habenda, adeoque stultum esset & honesto viro satis indignum, eidem renuntiare velle. Etenim contestatur ipsa historia hominis, meliorem hanc, qua jam superbiunt mortales, lucem per Christi doctrinam accensam, atque adeo philosophiam hinc universam collustratam fuisse. Quod ubi concedatur, concedendum vero est propter ingenua auctorum Sacrorum monumenta, non est quod in judicio de necessitate ac pondere Divinæ voluntatis nobis patefactæ, pro existentia animi nostri post mortem tuenda, hareamus.

Sunt vero hæc gravissima immortalitatis documenta, & velut ultima principia, ex duplici capite consideranda, nimirum aut qualia ex institutione Divina evidentissime, per Christum nominatim & ejus Apostolos solenniter tradita hauriuntur, aut ex consummatissimo ejus exemplo stabilita prodeunt; quippe qui ex mortuis ipse resuscitatus & in cælos abiens, immortalis vitæ gloriosissima reportabat præmia, atque non modo in mortis ipsius articulo confidenter satis vitam post hanc futuram adfirmabat, verum etiam toties ad regnum cælorum ex vitæ hujus miseris invitabat suos, is proprio suo discessu mirabili ideam certissimam beatæ immortalitatis dedisse

di-





)

(



dicendus omnino est. Dubitari ergo nequit, esse hanc Dei sapientissimam voluntatem, hanc humanæ naturæ constitutionem, ut pergat animus posthac vivere, agere, & vires suas ad summam, quæ finitis naturis competere possit, perfectionem intendere. Hinc robur suum cetera omnia capient argumenta moralia, hinc Divina sanctitas, justitia & sapientia in universo suo patefacta regimine melius explicabitur; hinc demum invictissimo velut præsidio munita erit spes nostra felicitatis nunquam intermoritura. Conscientia enim tenuitatis ac imbecillitatis humanæ continuum secum ferente metum frequentesque dubitandi occasiones, sub imis hæc Summi Numinis declaratio, scrupulos omnes menti adimere sola valebit. In confesso etiam hoc fuit acutissimis dudum viris, qui animi naturam paullo diligentius examinerunt (e); & si vel maxime in omnem partem ingenii sui intendant vires quotquot philosophi nomen tueantur, stabile quoddam hujus veritatis indagaturi principium, supererit tamen semper nodus vindice dignus, quem nulla alia solvere poterit institutio quam Divina, utrum scilicet futuro tempore vere destinatus sit animus, nec ne, & quæ sit Dei Supremi voluntas de statu hominum post mortem. Brevis est hæc, sed efficax, per Christum exhibita præceptio, cui acquiescere in vita non minus quam mortis ultimo articulo possunt homines, hocque posito fundamento inconcusso, quin universa moralitas instauretur, dubitari nequit.

Statum vero animi post mortem immediate esse aut felicissimum aut miserrimum, pro vitæ antea ratione definiendum, generalissimis certissimisque locutionibus eadem nos docet revelatio, mentis ipsius theoriæ minime repugnans. Sed sufficit, latissimo hocce in campo, quem

---

(e) LOCKIUM, BONNETUM nominasse sufficiat.

quem emetiri nulli mortalium unquam dabitur, ita verari, ut quid proprie ad revelationem & hujus vitæ notitiam pernecessariam pertineat, breviter examinemus, atque ab omni nos temperemus judicandi insolentia, omnemque reprimamus phantasiæ levitatem. Male enim multos, qui in hoc desudarunt negotio, sæpiuscule egisse, quum aut tropicas loquendi formulas & allegorias ad proprium torquerent sensum, & in ipsis futurorum temporum umbris veras rerum quærenter imagines, aut pleniorum Divinæ providentiæ procurationem sibi patere oscitanter postularent, haud infitiandum est.

Immotum atque verissimum manet, justam, sapientem & æquam fore Infiniti Numinis in ipsa sanctione poenarum, gubernationem, æternum esse discrimen virtutis ac vitiorum, bonorum malorumque, nec non judicandi ipsum modum Divinum ad sanctitatis suæ amussin esse exigendum. Quibus superstructis fundamentalibus veritatibus, ratio humana ideam sibi formare cupiens futuræ compensationis, summa cum animi confidentia Divinæ se committat necesse est institutioni, novum inde pro constanti pietatis exercitio perceptura incitamentum. Qui ultra sapere gestiunt Divina imperscrutabilia aut rimando, aut præfracta mente prorsus denegando consilia, modestiæ omni & humanitati renunti se existimandi sunt. Convenit vero qualemcunque ex ipsis revelationis fontibus & analogia hujus vitæ mentibus instillare notionem beatæ immortalitatis, cujus pleniorum lucem sapienter nobis præclusit supremum Numen & futuræ vitæ reservavit. Quicquid ergo magnificentum, elegans, nobile ac intemeratum in universo cognitionis, virtutis & perfectionis complexu cogitari possit; quicquid sublime in viribus, atque amœnum in sensationibus animi internis experti unquam sint mortales; quæ incrementa continua veritatis virtutisque per hanc vitam ceperint & studio  
in-



indefefso aluerint; ea demum omnia ad futurum relata statum, remoto omnis imperfectionis ac sensualitatis vitiolæ impedimento, clarius efflorescant, stabiliantur, maturefcant necesse est.

Exuto quippe hoc terreno involucro & cum cœlesti quodam commutato, peribunt tristissimi fenfus moleftiæ, dolorum, miferiæ —; conualefcant nobiliores, fub vita quondam confractæ vires; prostrata jacebunt quævis malorum terricula; oppreffio nulla, neque invidia animas beatorum lacerabit; infirmitas tandem menti valedictura, locum infinitis progresfibus fanctitatis, æternum dabit; atque femotis fic radicitusque velut evulfis omnibus malis, succrefcet ea rectitudinis fumma constantia, hic amoris integerrimi nifus, fiducia, tranquillitas, lætitia ea, quæ ubi lupremum ipfum Numen pro objecto habeat, ut æternum habebit, æternam quoque & infinitam obtinebit crefcendi materiem. Animum vero ipfum fenfualibus quondam machinæ corporeæ ornatum instrumentis, his fibi familiaribus non deftituendum efle organis fed nobiliori forma cœlesti fcilicet & ætherea superinduendum, certo certius per Divinam bonitatem fperamus. Qualis autem futura fit hæc corporis beatiffima permutatio & qualis ei deftinata fedes in immenfo cœlorum orbe, tamdiu ignorare convenit, donec futuri ævi aperiatur fcena. Etenim quod oculus nunquam antea luftravit, nec auris aut fenfus quidemuncunque percepit mortalium, id quidem paratum efle fidelibus, ex hoc migrantibus imperfectionis ftatu, facræ litteræ luculenter perhibent. Caveamus nobis tantisper ne ultra Divinæ revelationis fcopum & evidentiffima testimonia fapiamus, tenacius puerorum more tropicis adhærentes dictionibus. Palam vero eft, docentibus nos Chrifto & ejus Apoftolis, amœniffimam fore beatorum omnium familiaritatem ac confortionem cum Chrifto ipfo cœlicolisque, tot perfectio-

num

num gradibus nos superantibus. Qui ultra hujus Divini testimonii certitudinem ampliora quærunt aut solidiora argumenta immortalitatis felicitatisque, caveant sibi, ne recta in scepticismum aut fanaticum incidant via, quemadmodum dudum ingeniosissimis philosophis gentilium factum est; & si vel maxime hanc æternitatis fidem ex suis deducant Principiis philosophi (a), omnem saltim removeant a se suspicionem arrogantiam, nec temere jactitent laudatissimam hanc theoriam aliunde quam ex religione Divinitus tradita profluxisse. Neque vero injuria taxantur Criticæ s. philosophicæ religionis patroni, quod omnem veritatis imperativam auctoritatem ex pura arceserint ratione, Divinæ revelationis parum curantes testimonium, quod tamen in omnibus religionis veræ capitibus summum ultimumque est, cui fidere possumus, principium. Aut enim religio omnis Divina tollatur necesse est, & ex suis fundamentis subvertatur, aut concedatur oportet, hanc ejus fuisse immo manere beneficam vim, ut animum hæsitantem nova sua collustret luce erigatque.

|

Contrario autem sensu & quidem justo horrore perstringendos in altera vita esse Divinarum legum contemtores

a) Quam absolum sit ultra revelationis lucem philosophari, satis demonstrari potest ex lusibus nonnullorum recentiorum de metempsychosi, quam ex paganismo avidius arripuerunt, incoctam sic denuo recoquere amantes crambem. Eo enim tendunt verba auctoris haud obscuri: *Warum könnte jeder einzelne Mensch auch nicht mer als einmahl auf dieser welt vorhanden gewesen seyn? — Warum könnte auch ich nicht hier bereits einmal alle die schritte zu meiner Vervollkommnung gethan haben? — Warum sollte ich nicht so oft wiederkommen, als ich neue kenntnisse neue fertigkeiten zu erlangen geschickt bin?* G. EPHR. LESSING Erzieh. d. menschl. geschl. §. 94. 96. 98. Ceterum ablegamus lectores ad Dissert. nostram de *his quæ in relig. Christi ignorantur*.



tores omnes improbosque, Divina summa justitia pari et atque comminationum v racitas svader. Quemadmodum enim nulla bonitas locum obtinere sine justitia potest, ita quoque hæc sine illa subsistere nequit. Divinam ergo omnem revelationem cernimus in id maxime intentam, ut describat nobis Deum non modo amore felicitatis nostræ incitatum, verum etiam sapientissima sancti-  
 one poenali in omnia flagitia ex suæ sanctitatis rigore efficacissime animadvertentem. Modum vero supplicia de sceleratis sumendi meritissima, varium justissimumque nemo mortalium definire audeat, sed admiretur potius infinitam Dei potentiam, in administrandis sui imperii legibus negotiisque conspicuam. Discamus indies optimum amare benefactorem, cujus per providentissimam curam omnia geruntur, temperantur & diriguntur; discamus severitatem ejus in puniendis sceleribus quibuscunque sacro pertimescere horrore atque evitare; siquidem justus vindex promerita cuique dabit anteaetæ vitæ stipendia. Cujus Divinæ justitiæ ideam qualemcunque jam sibi formarunt gentilium saniores, variis licet fictionum indulgentes generibus; eam vero plenius instruunt sacra oracula, non omnem tamen removentia imaginum copiam. Indubitarum vero manet, furibundi animi morsus una cum sensu Divini numinis ejusque vindictæ acerbissimo, infinitis cruciatibus omnem vexaturos esse impietatem, ceteraque multa externa mala sibi adnexa habituros. Et quamquam nemo Divinam sapientiam, in ipsis poenarum consiliis apparituram olim, verecundo non admiretur & exosculetur animo, videat tamen ne per proterviam suam, in alterutram partem peccet, sive denegando sive determinando ius Dei Supremi punitivam suam aut dispensandi & mitigandi, aut quoque exasperandi justitiam. Quis fragilem suam immenso pelago committeret ratem? Præstat sublimem Divinarum perfectionum, bonitatis, sanctitatis & justitiæ meditari harmoniam,



æternam illam & imperscrutabilem, quam male calculos suos ponere in rebus hisce abstrusissimis.

Quod demum ad judicem ipsam a Deo constitutum attinet, rationi ipsi non potest non esse ignotum, sed revelatione manifestatum, gloriosissimum nostri generis servatorem hunc esse judicem, a quo omnium hominum facta æqua lance ponderabuntur, fataque in æternum adsignata erunt. Diem hunc aliis fortunatum aliis exitialem jam inde a mortis articulo instare, specialio-rem quippe, omnes dabunt, qui vel leviter sacras consu- luerint litteras (b). Interim tamen festivorem adhuc quendam diem esse designatum quin credamus, nihil est quod rationi repugnat. Atque in tanta æternitatis festi- vitate, omnia momenta judicii solennia fore, itidem pa- tet. Plura rescire aut indagare velle, temerarium esset; Multa enim sunt quæ ignorantur, & ignota nobis in hac rerum omnium fragilitate manebunt.

---

**B**reviter vero sic expositis plerisque doctrinæ nostræ Christianæ capitibus, ad oculum patere cuilibet, veram hu- manæ mentis perfectionem indagare cupienti, arbitramur, nullam fere religionis partem esse, cui revelatio Divina non primam suppeditaverit cogitandi materiem & ultimum addat robur ac absolutam certitudinem. Patebit quippe, Deum Supremum peculiari & extraordinario modo jam inde a generis nostri incunabulis, infantili adstitisse inge- nio humano, atque per viros, a se multiplici adflatu edo- ctos, id procurasse, ut vera, certa & omnibus dubiis vacua traderetur hominibus theoria religionis, quam si vel maxime suoapte ingenio aliquando & quadantenus ex- cogi-

---

b) Conf. præ ceteris PFLAVM die religion Jesu.

cogitare potuissent sapientiores, non tanta tamen infalli-  
 bili ac apodictica auctoritate sibi aliisque ad persuaden-  
 dum valuisse agnoscendi sunt, ut nullo Divino testimo-  
 nio opus fuisset ad fidem religiosis veritatibus faciendam.  
 Quomodo autem & per quos gradus hæc Divina institu-  
 tio peracta fuerit, res est ad religionis ac hominis histo-  
 riam pertinens, omnique judicandi sinceritate indaganda;  
 in qua propterea laudabilem posuerunt multi operam,  
 non eam quidem omnibus jam numeris absolutam, sed  
 tamen ad vindicandam Divinæ revelationis auctoritatem,  
 æque pertinentem. His vero historicis, ex Sacris oracu-  
 lis maxime explicandis monumentis superfedendum no-  
 bis esse, instituti nostri exigit ratio. Colophonis tantum  
 causa subjungimus ultimum hoc, Apostolis omnibus,  
 maxime vero Paulo, in Epistola ad Hebræos, contestan-  
 tibus & confirmantibus de Christo effatum, Christianis in  
 universum omnibus præbe recogitandum, eum scilicet,  
 utpote cum Deo ab æterno conjunctissimum & filiali  
 junctum vinculo, a Deo constitutum fuisse totius humani  
 generis doctorem, legislatorem, restitutorem ac judicem,  
 eumque omnes peregrisse adhucve peragere partes ad  
 perfectionem nostram atque salutem spectantes; quare  
 etiam omnis cultus religiosus, universa moralitas & san-  
 ctitas ad eum jure transfertur tanquam auctorem, Divina  
 summa auctoritate illustrem, fideique normam præscribe-  
 re valentem. Nec potest aliud quoddam salutis nostræ  
 substerni fundamentum, quam quod semel per infinitam  
 Dei gratiam jactum est, atque cui innititur religionis to-  
 tius veritas & obligandi vis. Quem igitur tot secula,  
 non omnino fanaticismo correpta aut errore quovis per-  
 turbata sancte suspexerunt animi ducem ac dominum,  
 quem tot pii cultores indes venerati sunt omnigenæ  
 perfectionis moralis statorem, Ejus sane dignitati & au-  
 ctoritati nihil detractum putabimus nonnullorum inimica  
 moliendum aut vane philosophantium conatibus. Claris-  
sima



sima dudum affulsit lux Christiano orbi, ex consummata Christi doctrina; restaurata est humanæ mentis quondam deturpata facies, paxque conciliata generi nostro efficacissima. Subsistamus ergo iis in testimoniis ac præceptis, quæ ad fidem nostram generandam lata sunt, animi nostri naturæ atque rationi convenientissimis, neque per seccordiam quandam aut ingratum Divinorum beneficiorum neglectum patiamur hos animis nostris evelli sensus amoris ac gratiæ Dei, per Christum nobis exhibitæ (c).

- e) Ceterum, si quid tironibus, veritatis incensis studio, ad religionis nostræ examinanda fundamenta adderemus monitum, hoc præ primis eslet, ut sæpius attenteque sacra perlegant oracula atque cum profanis scriptis philosophicis conferant, quo quidem negotio discrimen humanæ & Divinæ sapientiæ maxime apparebit; perlegant GROTII commentarium de *veritate Rel. Christianæ*, LOCKE sæpius laudatum librum, *Reasonableness of Christ. Rel.* ut quoque de *intellectu humano*, ADDISON, NÖSSELT, LESS, ceter, in hoc genere proficua, nunquam sitis commendanda, quamquam aliquantisper neglecta scripta; neque abstineant tantopere ab aliis dijudicandis novarum hypotheseum conditoribus, de Bibliolatria & Christolatria ex sua licentia philosophantibus, ut pateat, quam indefesso levitatis studio sæpius nodum in scirpo quæsierint multi, speciem quandam veritatis præferentes.

